

LIB. II. STATUS RELIG. CHRISTIANÆ. 15

Atque subverfis hoc modo ecclesiis, ex quibus religio christiana sustentari, & nostras in terras propagari poterat, Augustana nimirum Vindelicorum versus Danubium, propius vero ad Rhenum, Moenum & Nicrum Vindonissenfi, Rauracensi, Argentoratensi, Nemetensi seu Spirensi, & Moguntinensi præprimis, quæ secundum leges Nicænas uti civilis, ita & ecclesiastica metropolis esse debuerat, sic, inquam, spes omnis doctrinæ salutaris in terris nostris concidisse visa est. Neque etiam tunc in illis latebris saltem perfugium, aut ad tempus delitendi spes erat, ubi silvæ ac luci per Hunnos sunt excisi: quamquam hoc facto pervia fieri deinceps ceperit terra hominum accessui, tunc saltem postquam accepta a Clodoveo ad finem seculi V. ad Tolpiacum clade, Alemannorum ingenia mittere, atque a lucorum nemorumque, in quibus hucusque degebant, cultu recedere paulatim affueverunt.

SECULUM
VI. & VII.



LIBER II.

*Religionis christianæ & rei monasticæ profectus & status
in Silva Nigra seculo Christi sexto & septimo, ac S. Fridolini
pro utraque labores.*

I.

Fuerat hæc clades apprime salutaris victoribus Francis æque, qui regem eorum Clodoveo hac occasione ad fidem converso eandem & ipsi receperunt; tum etiam devictis Alemannis, qui post illud ad Tolpiacum apud Ubios prælium in ditionem Francicam venerunt, sicque religioni christianæ magis semper appropinquabant. Neque tamen facile adeo avitis suis superstitionibus nuntium remiserunt, quin illis aliquamdiu pertinaciter adhuc inhærent, nec cum Francis in religione convenire volebant. Testem huius rei habemus AGATHIAM Scholasticum, qui de Alemannis illis, qui ad Theodericum Gothorum regem transfugerant, postea vero a Theodeberto rege (qui avo Clodoveo anno demum 534. successit) in patriam sunt recepti, ita scribit: *Habent privatim & propria instituta: in publicum Francico imperio ac moribus gubernantur, circa divina discrepant; arborum illis cultus & amnium, colliumque & vallium: hæc numina placant equis aliisque animalibus, quæ defectis cervicibus sacrant.* Idipsum vero illorum consuetudini in silvis ac nemoribus degendi, in late diffusa præprimis per Alemanniam Marciana Silva, tribuendum est. Atque exinde alterum quo-

Paganæ superstitiones apud nostrates sec. VI. paulatim tandem abiecit;

L. I. de imperio Iustiniani Imp. T. III. script. hist. Byz. & ap. Murator. Script. Rer. Ital. T. I. pag. 383.

que